TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

SCROFULA

COMPLECTENS.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,

QUÆDAM DE

SCROFULA

COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS ORR,
Hibernus.

Fortes creantur fortibus et bonis.
HOR.

Calendis Augustis, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

SCROFULA

COMPLECTENS.

Auctore JACOBO ORR.

IN hoc tentamine quædam de Scrofulâ scribere volo, quoniam morbus est, qui multa præmia iis tramites ejus occultos indagantibus promittit. Nec in animo est theorias novas, quod quidem difficillimum esset, proferre, nec remedia inusitata proponere, nam quæ medicamenta non aliquando adversus hoc vitium adhibita sunt? Certe

tamen mihi persuasum habeo, studium huic morbo tam incerto et tam multas formas sese induenti impensum, nonnihil fructus relaturum.

De hujus mali origine, sicut de aliis bene multis, nil quidem compertum habemus. Hippocratem certe non latuit, qui et in Aphorismatis *, et in libro De Tumoribus, de tumoribus scrofulosis loquitur. Ab hoc tempore ad nos usque, multi de symptomatis, de indole, et de medicamentis scripserunt. Multa tamen adhuc latent, et fortasse in sæcula latebunt.

Diu inter morbos labe hæreditariâ deductos recensita est, et sine dubio, prognatos parentibus hoc vitio male imbutis, quam alios majoribus sanis gaudentes, sæpius afficit. Non tamen idcirco negandum est, multos scrofulâ misere correptos, præsertim hoc in cœlo mutabili, a genere quantum sciri potest sano ortum duxisse. Labes hæreditaria, secundum plurimos, tantum sibi vult, homines affectionibus quibusdam laborantes, seminia quædam vel proclivitatem liberis tradere, unde venit hos a causis levioribus eodem morbo

---

* Hippocrat. Aph. iii. 26.

detineri. Multi quoque quorum parentes hic morbus teterrimus detinuerat, curâ ad diætam, cœlum, exercitationem, vestimentum, munditiem, excretiones et alia hujusmodi adhibitâ, vitam sine ullo a strumâ incommodo transierunt; et nonne sperandum est hos prolem robustiorem genituros esse, quam si morbus ipsos multum affecerat? Nec quidem mirandum est si, ut Doctor GREGORY docet, in mente teneamus quot avi atavique cuique fuerunt, nullum his in regionibus existere a scrofulæ principiis omnino vacuum. Hinc facile patebit nihil ad morbum formandum deesse, nisi causæ excitantes satis valentes. Omnibus probe notum est, multos quorum et parentes et avi et atavi, quantum a majoribus ore tenus traditum est, sani erant, strumis vexari. Hinc nihili erit sive in sententiam illorum, qui proclivitatem in scrofulam liberis a parentibus tradi putant, sive illorum, qui omnino negant, eamus.

Nullus, quantum mihi notum est, quomodo scrofula a parente ad prolem defertur, vel quomodo per longum tempus latet, in posteros miseros nec opinantes impetum factura, ostendere conatus est. Doctor THOMSON jure dicit, litem

potius de verbis, quam de re esse. Minime negatur sæpius iis parente scrofuloso prognatis accidere, quod hi ad labem hæreditariam, illi ad quandam systematis fabricam, debilem, mollem, in morbos multos proclivem, attribuunt. Non omnino certe inter hos convenit, sed parvi est tantillam litem componere.

Priusquam scrofula ullam corporis partem tentaverit, proclivitatem in morbum sæpe ostendunt cutis mollis et nitida; genæ colore rubro perfusæ; facies plena, rotunda; oculi albidi; pupillæ amplæ; capilli molles, albidi vel flavi; venæ amplæ vel potius tumidæ; constitutio totius corporis mollior. Corpus, quanquam nitidum et pingue videtur, flaccidum est et debile. Labium superius et columna nasi sæpe prius tument, quam morbus sese aperte ostendit. Phalanges digitorum ultimæ nonnullis tumidiores, et abdomen plenius et æquo durius. Temperamento sanguineo præditos sæpius afficit, quamvis nec colori nec temperamento parcit.

Nonnulli hoc morbo intra primum ætatis annum afficiuntur, sed secundum inter et decimum, plerumque impetum primum facit. Multi ab hoc

ad pubertatis tempus usque, primo patiuntur, pauci tantum post annos puberes, nonnullis horum, quos phthisis pulmonalis e medio deducit, exceptis.

In *historiâ* scrofulæ tradendâ, ordinem symptomatum usitatiorem sequi sat erit. Limites hujus libelli, varios accessionis modos, et organa omnia quæ afficit, et ordinem quo afficiuntur, dicere, etiam si scirem, non sinunt.

Inter symptomata prima, quando a teneris annis incipit, sæpissime sese profert abdomen tumidum, cum alvo multum mutabili, nunc astrictâ, nunc laxâ, labii superioris et columnæ nasi tumor pluribus adest. Appetitus cibi varius est, sæpius augetur; manuum et pedum digiti tument. His interdum conjungitur ophthalmia tarsi. Glandulæ pone aures et infra maxillam se auctas ostendunt, cutis in rugas multas pendentes cogitur, et tandem parvulus lentâ morte conficitur. Glandulæ colli conglobatæ perraro ante alias partes afficiuntur, sæpius tamen quam aliæ glandulæ externæ laborant. Aliquando in variis corporis externi partibus, subito tument, brevi

perstant, et cito recedunt. Multo tamen sæpius tumor gradatim incipit, et lente augescit; alia inflammationis signa, scilicet rubor, et dolor, cum calore, adsunt. Ruboris quidem minimum, dolor præcipue pressu facto percipitur, et calor auctus interdum etiam thermometrum fallit. Hæc symptomata in æstate et autumno mitiora fiunt, cum frigore tamen redeunt, nec fortasse omnino abscedunt, donec in ulcera mali moris desiverint. Nonnunquam cito in suppurationem tendunt, plurimi tamen hebetes et segnes sunt, et annos duos pluresve perstant. Sensim mole augentur, et dolorem graviorem excitant, tegumenta tenuiora redduntur, et fluctuatio digitis est percipienda, cuticula rumpitur, et ulcus informe provenit. Huic adsunt labia livida, ad aciem fortasse pallida, sæpe splendentia, denticulata. Pus tenue, sero simile, massulis albis coaguli lactis speciem præ se ferentibus refertum, et postea sanies fœda, vel humor acris effunditur. Huic non nisi longum post tempus, idque difficillime, inducitur cicatrix tenuis, livida, irregularis, et a causis perlevibus ulcus renovatur. Crustæ nonnunquam tegunt, his vero solutis, cicatrix inducta invenitur. Ossa quoque

interdum laborant. Rachitis sæpe oritur in scrofulosis; plerosque inter mensem nonum et annum tertium adoritur. Inter omnes convenit hydarthrum, qui artus majores infestat, iis hac diathesi imbutis accidere. Hoc clare patet a strumarum signis in aliis partibus, sed præcipue a naturâ puris serosi et coagulis referti. Scrofula haud raro sese sub specie morbi coxarii, in junioribus profert. Interdum materiam cartilaginosam, ut in morbo spinali, afficit. Spina ventosa, secundum WISEMAN, est scrofulæ et nullius alius morbi species. Tumores talum et cubitum circumjacentes, in scrofulosis nonnullis sese exhibent.

Glandulæ lymphaticæ minime semper in primo morbi impetu, tumoribus detinentur. Plerumque, morbo progrediente, afficiuntur. Doctor THOMSON pauca tantum exempla glandularum corporis externarum, sine affectione alicujus partis internæ præcedente correptarum, mente tenet. Huic quidem Professori, scrofulam perraro glandulas ante alias [partes tentare, verisimillimum videtur.

Glandulæ mesentericæ inter prima hoc morbo laborare videntur: hoc tamen vitium, ABER-

NETHY et CARMICHAEL auctoribus, a cibis in ventriculo male concoctis plerumque oritur. Glandulæ per quas humor a partibus affectis transit, in quâcunque corporis regione positæ, tandem morbo tentantur. Colli glandulæ, et quæ pone aures locum tenent, utpote quæ cœlo vario objectantur, præ aliis corripiuntur.

Membranæ mucosæ interdum scrofulâ afficiuntur, ut in naribus, vesicâ urinariâ. Doctor BAILLIE massam albidam materiæ scrofulosæ pone peritonæum sæpius vidit. Omentum quoque in massam talem mutatum invenit.

Membranæ synoviam secernentes, eodem fere modo sæpe detinentur, ut in hydarthro; postea partes vicinæ, ligamenta, cartilagines, et ossa. Hydrocephalus acutus scrofulosos plerumque invadit, tumores scrofulosi his in cerebro sæpe inveniuntur. Ophthalmia tarsi scrofulosos, aliquando juvenes, plerumque senes, detinet. Caligo et ulcera corneæ interdum inde proveniunt. In juvenibus, tympani membranam ita afficit, ut surdi tandem evadunt. Tales aurium morbi, secundum Doctorem THOMSON, sæpe in eandem gentem grassantur.

Pulmones tuberculis sæpe stipantur. Hæc albida et duriuscula, pisi quasi formâ et magnitudine, in materiâ cellulari *, non a glandulis morbo laborantibus, oriuntur. Nullæ enim glandulæ in membranâ cellulari, quæ cellulas aëriferas intervenit, oculis obviam eunt, nec tubercula inveniuntur per trachææ ramos, ubi folliculi mucosi locum tenent. Hæc corpuscula primo minima, gradatim augent et coalescunt, tandem pus continent. Plures hujusmodi tumores concreti abscessum formant. Circa tubercula cellulæ aëra continentes comprimuntur, via ab abscessu fit per bronchos et vasa multa; hinc sputum purulentum sanguine tinctum. Partes abscessum circumjacentes, introitum et exitum aëri liberum relinquunt, nisi forte tubercula multa impediunt. Hi abscessus portiones pulmonum supremas occupant, et per stethoscopium a LÆNNEC inventum indicantur.

In hepate tubercula varii generis vidit Doctor BAILLIE; plura scrofulæ indolem ostenderunt. Lienem, renes, capsulas suprarenales, glandulam prostatam, vesiculas seminales, testes, ovaria, scro-

---

* Vide STARK, Opera, p. 26., et BAILLIE.

fulâ capta vidit. Tumores ejusdem generis matri duræ et matri piæ adhærentes, et quoque in pericardio et in pharynge, et quidem in glandulis absorbentibus per totum corpus, invenit.

Hoc vitium ad *Cachexiarum* Classem, et Ordinem *Impetiginum*, a celeb. CULLEN relatum est. His verbis definitur: "Glandularum conglobatarum præsertim in collo tumores, labium superius et columna nasi tumida, facies florida, cutis lævis." Hæc definitio species omnes minime complectitur, nam glandulæ conglobatæ nec solæ, sæpe nec primæ ut supra diximus, afficiuntur. SAUVAGES, LINNÆUS, VOGELIUS et SAGARUS, eosdem fines huic morbo statuerunt. Nec multum quidem mirandum est, si in mentem revocamus quam mutabilis sit scrofula, et quam multas induat formas.

DIAGNOSIS plerumque facillime, interdum vix institui potest.

Phlegmone rubore vivido, dolore sæpe pulsatili et graviore, dignoscitur; citius in apostema abit; postea puris et abscessûs indole facile sejungitur.

Scirrhus, tumor scrofuloso durior, indolens,

sæpe dolore lancinante stipatur, lente quoque in ulcus abit, sed minus mobilis est; glandulas conglomeratas primo invadit; variis anni tempestatibus nullo modo afficitur; perraro juniores tentat; cutis super partem laborantem sæpe in rugas contrahitur; in nonnullis colore plumbeo inducitur.

Bronchocele a quibusdam auctoribus inter tumores scrofulosos recensetur; nulla tamen scrofulæ nota, tumore glandulæ excepto, huic vitio adest. Idem certe his duobus morbis simul laboret, sed non idcirco ab eodem origine proveniunt.

Inter hunc morbum et quædam syphilidis symptomata, interdum non multum discrepat. Ossium longorum media in lue tumoribus afficiuntur; extrema, scrofulâ. Glandulæ lymphaticæ in ambabus sæpe tument, in illâ inguinales sæpissime, vix tamen nisi post naturalium ulcera, gradatim augent, et multo citius in suppurationem desinunt. Hydrargyrus, remedium usitatissimum ad luem medendam, omnia scrofulæ symptomata graviora reddit.

Hic obiter notandum est, glandulas lymphaticas circa collum pueris catarrho correptis, quamquam sanitate integerrimâ gaudentibus, interdum tumescere. Non tamen dies ultra tres vel quatuor perstant.

Prognosis.—Scrofula nullum illico e medio tollit, plurimi tamen serius ocyusve, ante ætatem provectam, mortem obeunt. Quartus vel quintus quisque, his in terris, morbis scrofulosis præcipue phthisi pulmonali, interit. Si æger annos puberes haud attigerit, prognosis melior est, nam strumæ tunc temporis pluribus et maribus et fœminis recedunt, nec amplius prodeunt. At si tussis sicca, dolor, quasi ab aliquo ligante, in quâdam thoracis parte, respiratio difficilis, pulsus frequens, rigores, cum volis plantisque aridis et calidis, hæc symptomata excipiunt, phthisis pulmonalis adest, et prognosis est infaustissima. Doctor Young dicit, quartum quemque a phthisi his in regionibus confici. Secundum Doctor Woodville, unus e quinque. Si mente teneamus phthisin plerisque a scrofulâ oriri, et multos hydrocephalo acuto, tabe mesen-

tericâ, hydarthro, aliisque hujusmodi morbis perire, haud absurdum est dicere, quartam circiter partem omnium, his in regionibus vitam degentium, morbis scrofulosis auferri. Doctor ALISON in prælectionibus suis docet, maximam partem hominum ante annum ætatis quadragesimum morbis chronicis intereuntium, ab aliquâ scrofulæ specie mori.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.—Inter causas prædisponentes præcipua, ut plerique arbitrantur, est labes hæreditaria. Proles scrofulosorum sæpissime afficitur, sed certe fas est dubitare an semper ab hac causâ oriatur. Quæ ratio est prognatos iisdem parentibus idque scrofulosis, non semper eodem modo affici? Et cur hic strumâ miserrime detinetur, ille iisdem parentibus ortus, eodem cultu habitus, iisdemque causis excitantibus objectus, sanitate omnino fruitur? In infantibus teneris, et pro ætate debilibus, causæ quæ plerumque nomen excitantes audiunt, diu adhibitæ, morbum arcessere possunt. Debilitas fortasse interdum proclivitatem dat.

Causæ Excitantes—hoc in cœlo multæ sunt, et diligentiam summam nostram sibi vindicant, nam medela ab his evitandis multum pendet, hoc modo morbus sæpe omnino præcavendus est.

Diæta aquosa et minus nutriens, interdum in culpâ est. Lac matris, naturâ jubente, est diæta infantibus optima. Infante crescente, lac mutationes, quæ aptum reddunt parvulo id ætatis nutriendo, subit. Hac de causâ nutrix sæpe nocet, et multi putant lac a justo longe diversum in plurimis strumas excitare. Lac bubulum parvulis raro convenit, nam multo citius acidum fit et alvum irritat, aliquando purgat. Nimium cibi cujusvis ingestum, etiam si nutriens sit, ventriculum gravat et dyspepsiam gignit, unde sæpe origo mali.

Aër impurus ut in urbibus, nosocomiis, et ubicumque magna vis hominum in unum convenerit, morbum haud raro excitat. In hac etiam urbe, sæpius observavi quantum inter pueros in oppido medio vitam agentes, et hos circa pomœrium, discrepat; illi pallidi, graciles, abdomine fortasse excepto, multa scrofulæ signa præ se ferunt; hi plurima sanitatis symptomata exhibent. Si ur-

bium incolas cum rusticis componeremus, quantum nocet aër impurus facile apparebit.

Humor nimius inter causas potentissimas locum tenet. Dominus RUSSELL calidissima et frigidissima loca a scrofulâ æque vacua esse dicit, et plures tentari in regionibus, in quibus aër vaporibus frigidis semper oneratur, et tempestates multum variant. Inter gradum latitudinis 45^tum^ vel 50^mum^, et 60^mum^, late regnat. Hos intra fines aër quam maximum vaporis continet. In regionibus tropicis fere ignota est; etiam his in terris per æstatem et autumnum multo mitior fit, imo multis abscedit nunquam reditura. Exhalatio per cutem, frigore et humore multum impeditur; hinc partim pendet alvus varia, et quodammodo glandularum mesentericarum tumores.

Vestes parciores, utpote quæ nec calorem detinent nec frigus arcent, morbum excitare possunt.

Exercitatio minima inter causas excitantes numeratur. Ventriculus functionibus non rite fungitur sine corporis exercitatione. Musculis abdominis vix motis, nec alimentum concoquitur, nec comprimuntur venæ ita ut sanguis ad cor usque facile ascendat, nec bilis copiâ justâ secernitur.

Hinc concoctio mala et alvus pigra, et sæpe glandulæ mesentericæ tumidæ.

Morbi alii præcipue graviores, quibusdam causa scrofulæ existunt. Febres sæpe, sæpius tamen quædam ex exanthematis, morbum gignunt, ut rubeola, scarlatina, et variola confluens, rarissime discreta. A dentitione aliquando oritur.

Vis corpori illata, ut ictus, contusio, ustio, multis proclivibus morbum inducit; subluxatio sæpe hydarthrum infert. Immundities quoque transpirationem impediendo, multos cutis morbos et strumas gignit. Hydrargyrus ita adhibitus ut salivæ fluxum augeat, scrofulam suscitat, vel præsentem exasperat. Morbus materiâ ex ulceribus scrofulosis derivatâ et subter cuticulam insertâ non gignitur, ut experimenta a Doctore Kortum instituta satis demonstrant. Doctor Cullen cum aliis plerisque dicit, non a contagio oriri, nam sæpius vidit sanos diu multumque cum scrofulosis versatos, vacuos perstare.

Causæ excitantes eædem non omnes eodem modo afficiunt. Proclivitas huic major, illi minor, a quâdam corporis fabricâ sive congenitâ sive ascitâ pendere videtur, et quantum cognoscere

possum, nec ullum systema, nec organon præ cæteris morbus semper aggreditur.

Medendi Ratio.—Vix ullus quidem est morbus, adversus quem medicamenta plura adhibita sunt; pauci, ad quos medendos remedia specialia sæpius sunt data; quod quidem satis probat nullum medicamentorum genus, nec tractandi modum, contra eum sæpe valuisse. Celsus hæc verba habet, "quæ," scilicet concreta strumosa, "vel præcipue fatigare medicos solent, quoniam et febres movent, nec unquam facile maturescunt, et sive ferro, sive medicamentis curantur, plerumque iterum juxta cicatrices resurgunt." Species variæ methodos medendi quodammodo varias sibi vindicant, sed nec tempus tantam enumerationem admittit, nec usus postulat. Generalia tantum attingam, in minoribus adhibendis medici solertia et experientia, multo quam regulæ melius, praxin dirigunt. Medici circumforanei huic morbo tractando diu incubuerunt, et quidem qui medicinam rationalem profitentur, empyrice plerumque aggrediuntur. Passim creditum est Reges Angliæ, ab Edvardo Tertio, scrofulâ la-

borantes tactu sanare potuisse; et multi, ut WISEMAN docet, quos struma male habuit, ad hanc medelam subeundam, haud paucis fortasse numismate aureo a rege donato inductis, confluxere. Etiam nuper, ANNA regnante, scrofulosi monito publico ad tactum regium accipiendum vocati sunt. Galliæ quoque Reges, per idem fere tempus, virtutem talem arrogavere. Principes tamen hodierni, ea est morbi sævitia, vix a corporibus suis arcere possunt.

Diæta levis et concoctu facilis, quæ nec ventriculum gravat, nec alvum comprimit, adhibenda est. Lac maternum teneris est optimum. Doctor HAMILTON, Art. Obs. Prof. mammas scrofulosis admoveri ad tertium, aliquando ad quartum usque ætatis annum, monet. Caro sine arte coquinariâ parata, et quantitate modicâ sumpta, convenit. Pisces carnis albi satis alunt, nec, ut caro sæpe bovilla, nimis stimulant. Cibaria e tritico, avenâ, oryzâ, et aliis hujus generis fructibus confecta, plerisque sunt apta, si modo alvum laxum teneant. Si cibi appetentia, ut sæpe accidit, adsit magna, fames mensis crebris sed modicis compescenda est, non propulsanda, ne ventri-

culus nimis onustus gravetur. Aquam vel lactis serum bibat, nam vinum, cerevisia et hujusmodi alia, utpote acidum gignentia, morbum alunt.

Vestes quæ calorem detineant, et frigus arceant, adhibere expedit, et sæpius mutare, nam munditie summâ semper opus est. Cuti admoveatur pannus laneus, qui quovis alio melius a humore corpus defendit. Nuper mos fuit pueros, vestibus tenuibus indutos, cœlo frigido humidoque multum objectare, ut inde genus durum et cujusvis patiens evaderent, periculis tamen compertum est, hos nec frigus, nec laborem, nec militam melius tolerare, quam qui probe pro anni tempestate vestiti sunt. Huc accedit, quod multi hoc modo culti, variis morbis, inter primos scrofulâ, laboraverunt. Fœminas quoque non paucas, vestibus raris, quoniam mos ita jussit, indutas, phthisis pulmonalis e medio aufert.

Aër inquinatus quam ocyssime vitandus est, et ruris cœlum purum et apertum petendum, vel ut plures jubent, æger aëra a mari flantem spiret, nonnulli tamen hunc utilem esse negant. Exercitare sub divo puro expedit; loca humida et

paludosa fugienda sunt, et quidem, si quando fieri potest, in terras calidiores, cœlo magis æquabili gaudentes, migrare prodest.

Remedia ad totum systema afficiendum plurima sunt, pauca tantum ex quâque classe excerpam. Hic tamen notare licet, medicamenta generalia primo exhibenda esse; externis, utpote quæ ante statum corporis quodammodo mutatum irrita jacent, posthabitis. Symptomata primo plerumque sese efferentia, scilicet abdomen magnum, labium superius et columna nasi tumida, alvus varia, etiamque glandularum tumores, si modo recentes sint, catharticis mitibus diu adhibitis sæpe cedunt. Doctor HAMILTON, in morbo qui nomen Marasmus audit, et ABERNETHY et CARMICHAEL, in vitio tali cui nomen Scrofulæ imposuerunt, medelâ hoc genus, nec sine commodo magno, usi sunt. Purgantia omnigena usurpantur, his salina, illis resinosa potiora videntur, multi submuriatem hydrargyri, pauci hydrargyri pilulas præponunt. Cathartica certe plurimis prosunt, nec multum interesse videtur quid capias, modo alvum fæcibus purget, et quodammodo ventriculum et intestina ad actionem sanam sti-

mulet. Hæc tamen ad alvum tantum ducendam, non ad purgandam, absorbentibus interpositis, plerumque adhibentur. Alcalina acidum absorbendo, ventriculum leniunt, fortasse etiam stimulant, nam ABERNETHY acida mineralia tantundem valere ostendit. Nec vero negandum est, eadem remedia quæ dyspepsiæ prosunt, huic quoque prodesse. Alter enim ab altero quoad causas non multum abludit. Hydrargyrus a vi omnibus notâ, auxilium haud parvum in tumoribus amovendis pollicetur, ideoque sæpius tentatus est; non solum vero spem fallit, sed multis etiam nocet, ut quotidie videre est, in scrofulosis qui hydrargyro ob luem veneream aliosque morbos utuntur, multis quidem morbum latentem suscitat. Tumores *iodinio,* propter vires in bronchocele medendâ, amotos sperare licet, etiamsi non ita sit efficax quam famâ fertur. Hinc fortasse spongiæ officinalis, et ex parte quoque subcarbonatis sodæ, virtus. Aqua marina puncta plurima tulit; RUSSEL omni laude cumulat, nec immerito, nam symptomata sæpe levat. Interne adhibetur quæ alvum solvat et cibi concoctionem promoveat. Corpus quoque in undas demittitur; ab hoc ta-

men cavendum est, si æger rigoribus vel frigoris sensu, ex aquâ egressus corripiatur, etiamque si vultus et manus vel ungues livent. Alterâ ex parte, si alacris et vegetus et refectus, colore rubicundo perfusus, redeat, semel fortasse quotidie vel altero quoque die repetat, et nisi cœlum dubium vel hyems instans aliter jusserit, unum alterumve mensem perstet. Balneum calidum ex aquâ marinâ, vel ex aquâ cum muriate sodæ confectum, pluribus favet. Cataplasmata cum aquâ marinâ, vel panni in eâ madefacti, vel latex ipsa, tumoribus prius applicata quam signa inflammationis acriora sese ostenderint, nonnunquam solvunt. Nec tamen tacendum est, scrofulosos ad mare migrare eâ anni tempestate, quâ calor, cum exercitatione et aëre puro et diætâ ordinatâ conjunctus, sanitatem reducere posset. Murias barytæ a multis laudatus hodie vix usurpatur, et certe non est fidendus. Murias calcis illum ejecit, et famâ diuturniore usa est; a plurimis quidem hodie adhibetur, tonum vigoremque ventriculo et toti corpori dare videtur, nihilominus multi medici celeberrimi nihili faciunt. Multi aquas minerales, præcipue salinas ad purgandum, et cha-

lybeatas ad roborandum, interdum sulphurosas vel etiam puras, ut apud Moffat, Scarborough, Malvern, Pitcaithly, petunt. Simul cum aquis purgantibus, quædam ferri præparata a nonnullis adhibentur. Fortasse melius est ferrum seorsum porrigere, nam hoc modo non e corpore eluitur. Subcarbonas ferri, tinctura muriatis ferri, et murias ammoniæ et ferri, inter optima sunt. Cinchonæ pulvis, vel potius decoctum, usurpatur: Doctor FORDYCE et Doctor FOTHERGILL multum laudaverunt, ventriculo tamen languido non æque ac ferrum convenit. Conium a Doctore STOERK supra modum celebratur; hi tamen culpant, illi laudant. Tussilago a CULLEN adhibita fuit. Narcotica alia multa et tonica restant tractanda; sed quoniam rarissime exhibentur, prætereunda puto.

Externa ad tumores discutiendos interdum prosunt; mature admotis opus est. Aqua acetatis plumbi, solutio sulphatis zinci, aqua acetatis ammoniæ, oleum camphoratum et ammoniatum, varia ex hydrargyro unguenta, conii maculati cataplasma, et scintillæ vel aura electrica, suppetunt. Unguentum meloës vesicatorii apprime utile est

in hydarthri medelâ, sæpius repetitum vel cum sabini unguento; unguentum tartratis antimonii artubus ab hac causâ tumidis multum prodest; sin pars affecta supramodum doleat, vel rubeat, admoveantur hirudines; venâ sectâ interdum opus est; regimen antiphlogisticum talibus prodest. Est ubi calida vice frigidorum applicanda sunt. Frictio vasa absorbentia excitare solet; artubus scrofulâ laborantibus commodum ferat. Si ad suppurationem pervenerit lanceola utenda est, caustica raro æque prosunt; si pus suâ sponte effluat, cicatrix tandem magna et turpis inducitur.

In morbo præcavendo causas excitantes, de quibus supra dictum est, vitare expedit. Setacea et fonticuli malum a nonnullis arcerent.

FINIS.